



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 4. Alypianæ breuitas excusata, virtus laudata à S. Gregorio Nazianzeno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

assumfit, & Metellus Creta subingata, Cretici
 cognomentum reportavit, & Imperatores nunc
 usq; Romani ex subiectis gentibus Adiabeni,
 Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita &
 Paulus, ad prædicationem Gentium missus, pri-
 mo Ecclesie spolio Proconsule Sergio Paulo, vi-
 ctoria sua trophæa retulit erexitq; vexillum,
 ut Paulus diceretur è Saulo. Quamquam
 hoc non obstat Paulum quasi paruum, pu-
 fillum, modicum etiam dici, siquidem, ut
 docet Sigonius, Æmilianorum quoque fa-
 milia, à parua statura nomen Pauli adhæ-
 sit. Sæpe igitur Paulo alicui, aut paululo
 hominis aliunde pondus accedit, cum & ex
 Paulo Apostolus magnus sit factus.

§. IV.

*Alypiana breuitas excusata, virtus laudata
 à S. Gregorio Nazianzeno.*

In contrarium autem, *Valentissimo quisq;*
corpore longissimè abest à sapientia, ait Cicero,
 & Poëta de tali ait:

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Quod non idcirco dixerim, quasi non
 rex Saul, alijque insignes heroës plurimi
 fuerint procero corpore; sed quia planè
 video passim, pusillos tanquam pusio-
 nes haberi, & deridiculo esse. Imitor ita-
 que

Sigonius
 in nomi-
 nib. Ro-
 man.

S. Grego-
rius Naz.
ep. 155.

Gregorius
ad Nicolaum
ep. 155.

que in hac masculorum apologia S. Gregorium Nazianzenū, ad Nicolaum, qui Alypianæ vxori suæ, Gorgoniæ Gregorij sororis filiaë exiguam staturam exprobrauerat, his verbis rescribentem: *Alypianam apud nos cauillis incessis, ut paruum, & tua proceritate indignam, o magne & vaste gigante, tum forma, tum robore. Nunc deum intelligo, animū mensuræ subijci, ac rupes margaritis prestantiores esse, cornosq; luscinys angustiores. Tu verò magnitudine tua & cubitis fruere. Deinde subdit. Quòd si hoc quoq; adicias, eam orationis causa curuam esse, ac per ingentes mentis agitationes, perpetuam cum Deo consuetudinem habere, quid hinc de tua sublimitate, corporisq; mensura iactabis? Vide tempestiuum silentium: loquentem audi, quam incomta sit animaduerte, quam ut femina fortis ac strenua, quas rei domestica utilitates afferat, quam viri amans, ac tum illud Laconis dices: Certè animus in mensuram minimè cadit, atq; externum hominem oculos coniectos in internum habere oportet. Ita eam ut paruum deridere desines, & tuum coniugium faustum ac felix indicabis. Hæc D. Gregorius Nazianzenus scripsit ad Nicobulum. Quæ ubi in alijs quoque paruis hominibus habent*

habent locum, nihil utique conqueri possunt, cum corpore quidem alijs cedant, anima autem eosdem excedant, ac proinde meliore sui parte sint meliores.

§. V.

Forma deficientis compensatio.

Alijs in statura, alijs in forma aliquid deest, sed sunt & hinc suæ compensationes. Exempli instar haberi possunt duæ sorores, filia Laban. Hic habebat duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu. Vtramque duxit Iacob. Videns autem Dominus, quod despiceret Liam, aperuit vulvam eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Rursumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocavitque nomen eius Simeon. &c: Vides compensationem? Rachel pulchra erat, sed infæcunda? Lia lippiebat, sed & pariebat; ita quod vni deerat de forma, accessit illi à prolis gloria; & quæ gloriabatur forma, sterilitate humiliabatur. Vult enim

Genes. 29.

16.